



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

X. Qvod Imperator Pro hibuit milites suos ne læderent fratres S. Erminoldi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

QVOD IMPERATOR PRO
hibuit milites suos ne laderent fra-
tres S. Erminoldi.

DENIQ; cum non multo post, idem Princeps
transitum faceret ante Cœnobium cum mul-
titudine militari, fratres ad opera manuum,
iuxta morem hortum fortè intrauerunt, quem vilis tunc
sepes ambiuit. Milites igitur qui præbant, & qui seque-
bantur Imperatorem, cum fratres in horto viderent, arbi-
trati principem memorem sui cōtemptus, sibi quæ placere
volentes, Ecce, inquit, cucullati, qui Dominum no-
strum temere despexerunt, nec imperialem sibi dignati
sunt exhibere reuerentiam, ipsum insuper suis foribus
præsumserunt excludere cum contemptu. Dent ergo
pœnas obproprij & proteruiæ quas merentur, luant ausus
enormes, non ferant impunè spreuisse Cæsareum Diade-
ma. Et milites quidem hæc dixerunt, & inualescebant
voces eorum, odio quæ pastoris, dentes lupinos in eius oui-
culas acuebant. Iam quæ iam quæ insultum facturi in pusillum
gregem Domini videbantur, sed euenit aliter quam pu-
tabant. Nam exijt edictum à Cæsare non speratum, ne
fratres videlicet illius omnino præsumeret molestare, vel
verbo turbare vel facto. Sane non reliquit hominem no-
cere eis, & corripuit pro eis milites Imperator, contra
quos incitaturus exercitum credebatur. Hic significante
Spiritu sancto & demonstrante, quod meritum beati
ERMINOLDI absentes & filios defensaret, quomodo etsi
corpore absens, tamen spiritu præsens erat, Numquid igi-
tur non Dominus magnificauit eum in timore inimicorū,
& in verbis suis mōstra placauit, cuius absentia etiā merita

V v v a

ipse

X.

IX.

ipse Princeps intelligens, propriæ despectionis oblitus, ea coram militibus attollebat. Nolite, ait, tangere Fratres istos, & in eis nolite vllatenus malignari; noui enim cuius Abbas eorum dignitatis sit coram Deo, noui cuius sit sanctitatis, qui & si mihi non detulit Zelo iustitiæ, plurimum tamen eius confido me sanctis orationibus adiuuandum. Nimirum prudens Augustus prudenter aduerterat, honorem Imperialem sibi non timoris alicuius fastu à sancto viro fuisse negatum, sed magis in eo humilitatem obedientiæ mirabatur, qua maluit Apostolico subditus inueniri præcepto, quàm cæsareum adulâdo venari fauorem. Deniq; vt appareat, quoniam non ex typho superbiæ, sed ex zelo iustitiæ Principem Romanorum Monasterij septis exclusit, nunc qua humilitate & beneuolentia inferiores multo personas non solum exceperit, sed insuper inuitauit, sibi licet & suis aduersantes, duximus adneftendum, vt aduerratur, quod altissimum mundi caput quod honorâdi etiam Monasterij venit, intuitu non despectos, qui se suosque insuper molestare consueuerant, ad refectiois solatium inuitauit submissus & supplex quod in his quæ subijcimus apparebit.

QVOMODO FRATRES

S. Emmerammi pietate deuicit.

XI.



TENIM Fratres sancti Emmerammi nos aliquâdiu in principio crebris inimicitijs & insidijs fatigabant, impedimenta profectui nostro quæ poterant obtendentes. Cumq; de die in diem eorum contra nos odium ingrauesceret, ad hoc vsq; deuenit